

*172. Instrumentum concordiae tra
il convento di S. Francesco e la
chiesa cattedrale di S. Gerardo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*172. Instrumentum concordiae tra
il convento di S. Francesco e la
chiesa cattedrale di S. Gerardo*

1554-11-22

(c. 195r) In nomine domini nostri Iesu Christi amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quingentesimo /
quingagesimo quarto, regnante serenissimo et catholico
domino nostro domino / Philippo de Austria
divina favente clementia rege Anglie, Francie ,
citerioris Sicilie, Hierusalem, Hibernie, fidei defensore
et archiduce Austrie , principe Hispaniarum, duce
Burgundie, Mediolani et Barbantie, comite Asburgi,
Fladrie et Tirolis, regnationis vero ipius anno primo,
sub pontificatu sanctissimi domini nostri domini Iulii
divina providentia pape tertii, anno eius quarto feliciter
amen, die vigesimo secundo mensis novembris, decime
tertie inditionis, Potentie et proprie intus venerabile
conventum Santi Francisci.

1

Nos Iohannes Bernardinus Coppula de Potentia regius ad
contrattus iudex, Nicolaus Grisius Serranus incola ditte
Potentie civitatis, publica et apostolica autoritatibus
notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et
rogati, presenti scripto publico conventionis instrumento
fatemur, notumfacimus et testamur quod eodem prefato
die coram nobis et in nostri presentia presentibus et
personaliter constitutis reverendo magistro Matheo de
Linori de Ebulo, guardiano pro presenti anno ditti
conventus, reverendo magistro Nicolao de Blasio sacre
Theologie professore, fratre Angelo de Atella, fratre
Iuliano de Romano, fratre Antonello de Tricarico, fratre
Cesare de Diletto, fratre Gregorio de Casaletto, fratre
Ioanne Calabrese, fratre Fabritio de Liotta de Potentia
et fratre Antonio de Monte Peluso, fratre Matheo de
Aversa, fratre Ventura de Santo Fele, fratre Ioanne de
Così S per Bragantie

Capua et fratre Angelo de Monte Peluso, // (c. 195v) fratribus in ditto conventu, et egregio Santoro de Santoro ditte civitatis, procurator ditti conventus, unanimiter congregati ad sonum campanelle, ut moris et iuris est, in aula reverendissimi domini episcopi Cotroniensis et nemine ipsorum discrepante, consentientibus prius in nos iudicem et notarium tamquam in suos, cum scirent ex certa eorum scientia nos suos non esse, tamen ipsi nostre iurisdictioni sponte se summiserunt, agentibus ipsis guardiano, fratribus et procuratore ad infrascripta omnia et singula tam pro se ipsis, quam nomine et pro parte ditti conventus et ecclesie Santi Francisci et successorum in ea, cum consensu, autoritate et voluntate reverendissimi magistri Petri Pauli Caporelle, ditte civitatis, episcopi Cotroniensis, substituti ad decidendas causas et differentias ditti conventus per reverendum magistrum Iulium Magnanum de Placentia, ordinis conventualium Santi Francisci generalem, ibidem presentis et ipsis guradiano, fratribus et procuratori eius consensum, autoritatem et beneplacitum ad infrascripta dantis et concedentis parte ex una, cuius quidem substitutionis tenor talis est ut sequitur: (si veda doc. n. 171) (c. 196v)//. Et venerabili donno Tullio de Balzano, ditte civitatis, generali procuratore venerabilis ecclesie Santi Gerardi agente similiter ad infrascripta omnia et singula procuratorio nomine et pro parte ditte ecclesie et successorum in ea cum consensu, assensu, autoritate, beneplacito et voluntate reverendi domini Cesaris Tydei archidiaconi, domini Hieronimi Missanelli, domini Mariotti Sursinelle, domini Hieronimi Pizudilli, domini Pauli Ventis, domini Iacobi Chirilli et domini Ioannis de Marsico canonicorum ditte ecclesie, presentium ibidem et eorum consensum, autoritatem et beneplacitum

dantium et prestantium in toto presenti instrumento, nec non cum consensu, assensu et authoritate ac beneplacito reverendissimi domini Nini de Ninis episcopi Potentini, presentis ibidem et dittis procuratori et canonicis eius consensum, assensum, beneplacitum et authoritatem dantis et concedentis parte ex altera. Prefate quidem partes coram nobis ibidem pariter asseruerunt qualiter, vertente lite et causa per plures annos inter easdem partes conservatorii intentati per ipsos fratres et conventum Santi Francisci in Sacro Consilio super fontibus aquarum et earum grutibus dittis le Fontane de Scandi, sitis et positis in tenimento Potentie ubi dicitur Scadi, que fontes et earum cursus pretendebatur esse ditte ecclesie Santi Gerardi, nec non super eisdem fontibus et cursibus ac etiam terris dittis de Scadi in quibus scaturiuntur dicti fontes, sitis in pertinentiis ditte civitatis ubi dicitur Scadi, confinatis versus orientem iuxta terras // (c. 197r) ecclesie et conventus Santi Francisci que dicuntur Agathuni, aquali mediante; versus occidentem iuxta vias puplicas qua itur Atellam; versus septentrionem iuxta terras dicti conventus, vallone de Scadi mediante; versus meridiem iuxta terras magistri Troyani de Ingannulo, vallone Ingroso mediante et alios fines, que pretendebant esse dicti conventus et super huiusmodi causas multas et varias expensans erogasse. Tandem volentes ipse partes ad oviandum litium expensas et considerantes eis non esse congruum litigare et lites prosecui, ex quibus odia et iurgia oriuntur, precedente pluries trattatu et determinatione ac discussione super huiusmodi inter ipsas partes separatim et consuntim fattis ac discussis, devenerunt ad infrascriptam conventionem, transationem et pattum et concordiam devenire; et volentes partes ipse dittam

eorum bonam determinationem realiter ad effectum ducere, hodie predicto die sponte, non vi, dolo, metu ad id indutte, nulla inpressione aut suasionem mote vel aliter circumvente, ut dixerunt, sed earum pura, mera, libera, gratuita et spontanea voluntate, in nostrum quorum supra iudicis, notarii et testium subscriptorum presentia, prefate partes quorum qua supra in primis et ante omnia cedunt, refutant et renuntiant liti et cause et omnibus iuribus eis et unicuique ipsorum competentibus et quoquomodo // (c. 197v) competituris, una pars alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti quo supra nomine, dantes deliberate <sic> et ex certa eorum scientia partes ipse omnia acta et processus super huiusmodi causa facta et factos ac quasvis alias scripturas publicas et privadas in dicta causa presentatas et que forte poterint presentari pro irritis, nullis et cassis ita quod de cetero nullam fidem faciant, nec eis nec cuilibet ipsorum nocere possint quovis modo; et successive prefati procurator et canonici, consensu quo supra, cedunt, refutant et relaxant dicto conventui et dicto eius procuratori presenti, recipienti et stipulanti, quo supra nomine, omne ius omnemque actionem quod et quam habent et habere possent ex quavis causa, etiam iure domini super dictis fontibus et eorum cursibus et etiam quod fratres dicti conventus et eorum coloni possint et valeant libere et sine aliquo impedimento accedere ad dictos fontes et eos et eorum cursus facere et purgare ut co(m)mode aque prefate dictorum fontium possint libere discurrere et defluere ad terras dicti conventus, que sunt subter dictas terras Santi Gerardi, cum quibus valeant aquare lina que fieri et seminantur in dictis terris Santi Francisci; et versa / vice dictus procurator guardianus et fratres Santi Francisci, autoritate qua supra cedunt,

refuntant et renuntiant // (c. 198r) predittis procuratori et canonicis presentibus et quo supra nomine recipientibus et stipulantibus, omne ius omnemque attionem quam et quod habent et habere possent quovis modo super dittis terris in quibus sunt prefati fontes super aquali predicto existentibus, quibus ditta ecclesia Santi Gerardi et successores in ea possint et valeant libere et sine obstaculo uti frui, potiri et dominari et de eis disponere ut veri domini et patroni prout ad presens disponunt, utuntur et potiunt, nec non ditti procurator, guardianus et fratres autoritate qua supra promiserunt et convenerunt, ex speciali patto, teneri voluerunt quolibet anno dare, tradere et consignare seu dari, tradi et consignari facere, tempore quando lina trattantur, quartam partem omnium linorum in futurum faciendorum in prefatis terris Santi Francisci que aquar(unt) ex aquis dittorum fontium et cursuum dittamque quartam partem lini preditti consignare quolibet anno predittis canonicis; et eorum traticariis in dittis terris in quibus non possint et sic promiserunt aliquo modo tratticare sine saputa et interventu dittorum canonicorum, quare sic ex speciali patto attum estitit et speciale et expresse conventum inter partes ipsas; et promiserunt et convenerunt partes ipse nominibus quibus supra, solemniter et legitima stipulatione interveniente, cessionem, refutationem, // (c. 198v) transationem, concordiam et pattum ac conventionem predittas modo prefato fattas et omnia preditta et subscripta alia et eorum singula in presenti instrumento exposita, contenta et declarata semper et omni futuro tempore et imperpetuum habere, tenere et observare ratam, gratam et firmam ac rata, grata et firma eaque attendere et adimplere et inviolabiliter observare ac efficaciter et contra non facere, dicere, allegare vel

venire, revocare, retrattare, divertere, pervertere vel impedire, immo una pars alteram et altera alteram easque successive super prefatis fontibus eorumque cursibus, terris et aliis prenarratis vel eorum iuribus, rationibus et pertinentiis seu poxessione ipsorum turbare, vexare, requirere vel impedire, nec questionem, litem, causam, controversiam aut molestiam una alteri et altera alteri movere vel inferre aut moveri vel inferri facere aut moventi vel inferenti consentire, assentire vel consentire per se, ipsas vel alium aut alios eorum nomine, de iure vel de facto, in iudicio vel extra iudicium, agendo vel excipiendo aut alio quovis modo, sullibere permittere et sinere partes ipsas et earum successores in dittis ecclesiis pacifice et quiete absque lite et molestia aliqua habere, tenere et possidere predictos fontes eorumque cursus et terras predittas modo prefato pacifice declaratas, cum iuribus, rationibus et pertinentiis // (c. 199r) suis omnibus et aliis supradittis eisque dominari et uti frui ac ipsorum pacifica possessione gaudere et a presenti contrattu cessionis, refutationis, transationis, conventionis et concordie una alteram et altera alteram non molestando dolum malum abesse et abfuturas esse. Et sponte obligaverunt se ipsas earumque successores in dittis ecclesiis et bona earundem et dittarum ecclesiarum mobilia omnia et stabilia, presentia et futura, habita et habenda, licita et illicita et alia cuiuscumque vocabuli appellatione distinta et illa etiam bona que sub generali non transeunt hipoteca sine speciali verborum expressione et quod etiam ad ignorata extendantur, ad penam et sub pena unciarum auri centum, medietate ipsius pene si eam committi contingat apostolice curie vel alteri curie cuicumque ubi exinde reclamatio ligitime fieret vel querela et altera medietate

pene eiusdem alteri ipsarum partium prefata observanti et non contraventienti et eius heredibus et successoribus in dicta ecclesia integre persolvenda, totiens quotiens fuerit exinde quomodolibet contraventum vel attentatum, me predicto notario tamquam persona publica pro parte ditte curie et ipsis partibus presentibus una ab altera et altera ab altera solemniter et legitime penam stipulantibus antedictam; qua pena commissa vel non commissa, soluta vel non soluta, exatta // (c. 199v) vel non exatta aut gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus in eo contentis in suo semper robore et efficacia perseveret, rato manente patto ac ratis et firmis manentibus dictis conventionem et concordiam cum refectioe et integra restitutione omnium et singulorum dannorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeant assertioni cum iuramento tantum alterius ipsarum partium prefata observantis et non contravenientis, nulla alia probatione quesita, ita quod reduci non possit ad arbitrium boni viri nec exinde quomodolibet appellari aut aliter reclamari quodque in casu contraventionis prefatarum vel alterius eorundem et quod predicta pena, expense <sic>, dannum <sic> et interesse liceat et licitum sit alteri ipsarum partium prefata observanti et non contravenienti per se vel alios propria auctoritate, absque iussu vel licentia iudicis, magistratus seu pretoris et sine decreto curie vel mandato, solum presentis instrumenti vigore, capere et apprehendere de bonis quibus cuiuscumque mobilibus et stabilibus, iuribus, actionibus alterius ipsarum partium prefata omnia observantis et <non> contravenientis ubicumque sitis et positis prout elegerit, et in eis realiter manus iniectioem habere et incontinenti // (c. 200r) si voluerit

vendere vel alienare vel insolutum tenere et dare prout maluerit, donec satisfiat sibi ipsi integre in premissis, nulla denuntiatione seu requisitione premissa nulloque intervallo temporis expectato nec aliqua iuris vel facti sollemnitate servata que in huiusmodi bonis capiendis, vendendis, alienandis vel insolutum tenendis et dandis de iure requiritur; que bona ut superius generaliter obligata constituentur se partes preditte una alteri et altera alteri precario nomine tenere et possidere, quod precarium liceat et licitum sit alteri ipsarum partium prefata observanti et non contravenienti et eius successoribus in ditta ecclesia propria autoritate, solutum <sic> presentis instrumenti vigore revocare et bona ipsa ad se advocare seu revocari facere quandocumque, non obstante quod bona ipsa ad alienas manus pervenissent quocumque titulo, concessione vel forma; et renunciaverunt ditte partes una alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti, ut supra, super prefatis et quolibet prefatorum, exceptioni doli mali, vis, metus et in fattum, presentis non sic celebrati contrattus et rei modo prefato non geste seu aliter habite quam ut superius et inferius continetur et est expressum, privilegio fori scripto et non scripto, beneficio restitutionis in integrum, conditioni indebite ob causam // (c. 200v) et sine causa, exceptoni ditte cessionis, conventionis, transactionis et concordie non fatte, non secute realiter modo prefato ut superius continetur, legi dicenti probationis modum non esse angustandum et bona capta incontinenti vendi non posse, literis, privilegiis, cedulis et rescriptis et specialiter privilegio clericali et capitulo Odoardus et omnibus aliis quibuslibet inpetratis et inpetrandis, si proprio motu Pape processisset et de presenti instrumento de verbo ad verbum

faceret mentionem, usibus, consuetudinibus, premissis vel ipsarum alterius in contrarium adversantibus quoquomodo, tam civilibus quam canonicis, omnibus et singulis in corpore utriusque iuris repertis et omnibus aliis iuribus, legibus, exceptionibus, constitutionibus, compensationibus, allegationibus et defensionibus iuris et fatti quibus et propter que ditte partes, rationibus quibus supra et quelibet ipsarum, contra premissa vel ipsorum aliquid venire possent quoquomodo aut ab ipsorum observantia se tueri; iurique dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri quo cavetur quod ditto iuri renuntiari non possit; certiorate prius ditte partes, ut dixerunt, per iuris peritum de iuribus ipsis et effectibus ac beneficiis eorundem antequam renuntiaverunt eisdem; pro quibus omnibus supradictis, infrascriptis // (c. 201r) et eorum singulis firmiter attendendis, adimplendis et inviolabiliter observandis quodque prefata omnia vera sint et eorum singula et in nullo umquam vacillent, ditte partes una alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti coram nobis eisdem iuraverunt et corporale tactis litteris ad Santa Dei Evangelia prestiterunt iuramentum; et fuit attum infra contrahentes eorundem, pro cautela uniuscuiusque ipsarum partium et eius successorum quod, si qua iuris vel fatti sollemnitas in presenti instrumento deficerent vel clausula, tacite et expresse intelligantur in eo et totiens corrigi, refici et emendari possit quotiens opus erit, ad sensum et consilium sapientis eligendi per unamquamque ipsarum partium predicta observantem et non contravenientem, donec veniat ad lucidam formam veritatis et fatti substantia non mutata. Unde ad futuram memoriam dittarum partium preces eorumque successorum cautelam et omnium quorum et cuius

interest et interesse poterit in futurum certitudinem, fatta sunt exinde duo consimilia instrumenta iddi effectum continentia, unde ad instantiam ditte ecclesie et conventus Santi Francisci, alterum vero ad instantiam ditte ecclesie // (c. 210v) Santi Gerardi; hoc autem fattum est ad instantiam ecclesie Santi Gerardi per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, mei cuius supra iudicis et nostrum subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum.

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

Su Pietro Paolo Caporella di Potenza si veda doc. n. 171 nota 1.

Così S, Rendina Fidei

Così S per? contraventionis intentate

Così S, Rendina Schiacchi

Così S per Avellanum (dal contesto geografico)

Così S per deliberaverunt

Così S per sed libere

Così S per in effectum eadem continentia

Così S per unum

Su Giulio Magnani si veda doc. n. 171 nota 2.

Quod ego idem Nicolaus publicus ut supra notarius
premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque
meo consueto signo signavi. (SN)